

sen. Ich glaube allso durch diesen kurzen Versuch gezeiget zu haben, wie wenig man den Ahndungen und Träumen, in Hinsicht auf künftige Wirkungen, zutrauen soll, welches die Hauptabsicht gegenwärtiger Untersuchung war.


POSITIONES EX PHILOSOPHIA THEORETICA.

LOVICES PRÆCOGNITA. Homo hominem prius noscat, quam ad exteris res investigandas se convertat, & ordinis & dignitatis videntur postulare ratio. Non igitur abs re faciunt, qui à Psychologia Empirica, in studiis philosophicis pertractandis exordiuntur. Hæc primum animam homini, eamque unicam inesse docet. Illam quoque à corpore organico diversam esse, mutationum, quas in nobis & in corporibus animadvertisimus, diversitas docet. Arctum tamen corpus inter & animam commercium est, cui explicando varias hypotheses excogitarunt Philosophi. Quæ in anima humana occurrunt, ad duo principia redeunt, facultatem nimirum cognoscendi, intellectum significatu latissimo, & voluntatem. Ad primum eorum refertur

sensus, quo res, quæ præsentes jam nos adficiunt, percipimus; & ille quidem, qui circa res extra nos positas versatur, *externus*, qui ea, quæ animam intime adficiunt, respicit, *sensus intimus* dicitur, quorsum *sensus veri, pulchri, & honesti* quoque pertinent. Res præteritas nobis sicut *imaginatio & memoria*; futura *prævisio*. Rerum quoque naturam anima nostra perspicere satagit *ratione, judicio atque intellectu*, quæ facultates attentione abstractione & compositione potissimum perficiuntur. Hæ cognoscitivæ vires, quamvis omnibus hominibus communes sint, magna tamen in iis deprehenditur *ingeniorum diversitas*, cuius causa cum in *corporis constitutione*, tum in *educatione* atque in iis, quibus hæc adjuvantur, rectè queritur. Neque hic prætermittiuntur sunt diversi quidam quoad cognoscendi vires, mentis humanæ status, è quibus *somnus, somnium, insania* atque *Enthusiasmus* potissimi sunt, quorum diversis phænomenis explicandis principia nostra recte hausta facile satisfaciunt.

EX LOGICA.

Intellectus humanus multis obnoxius est erroribus, quos evitandi præcepta tradit Logica. Itaque pro ideis, judiciis atque ratioeiniis,




tanquam præcipuis intellectus operationibus
 recte formandis regulas snppeditare, scientia
 hujus præcipuae partes sunt. Magna notatur
 idearum diversitas, quæ vel ex *objectis*, vel ex
 modo, quo ea cognoscit anima, repetitur.
 Ideæ omnes originem trahunt à sensibus, nul-
 læque sunt animæ innatæ. Erroribus præca-
 vendis maxime subserviunt ideæ claræ & di-
 stinctæ, quarum efformandarum media appri-
 me adcommodata sunt *definitio* & *divisio*. Ideæ
 variis modis inter se junctæ atque consociatae
 sunt, ex cujus consociationis legibus varia
 quoque virium cognoscitivarum phenomena
 licet explicare. Idearum adsociationem adju-
 vat quoque *signorum*, *sermonis* ac *scripturæ*
 usus; quarum rerum in cogitando, veroque
 investigando maxima vis est. Ex idearum
 ad se invicem relatione nascuntur *judicia*. Di-
 versa horum nota sunt genera, prout diversa
 eorum est ratio, in qua spectari possunt. Præ-
 primis autem veritatem in judiciis logica ex-
 igit, ad quam obtinendam oportunas statui-
 mus leges. Ex judiciis alia quoque judicia
 erui posse, haud obscurum est intelligere, ex
 quo genesis *ratiocinii* satis redditur manifesta.
 Variæ sunt ratiociniorum formæ, de quarum
 principiis & legibus, quantum congruum erat,
 egimus. Ad logicam quoque spectat, veri-

tatis principia, & varios eam cognoscendi modos investigare. Unde primum veritatis notio determinanda, & varii animæ circa veritatem status inquirendi sunt. Ex veritatis bus aliae *immediate* patescunt, aliae *mediante demonstratione*, cuius varias species & requi- sita subministravimus. Legitima *sensuum experientia*, atque aliorum *testimonium* oppor- tuna veritatis certo cognoscendæ media sunt. Quidquid de arte *experiundi*, & de arte *cri- tica* & que ac *hermeneutica* dictu uile erat, hic adjecimus. In multis casibus, ubi veritas certo cognosci nequit, opinionem probabi- lem non oportet respuere. In veritatis eo melius indagandæ subsidium, causas errorum, in quos humana mens ita prona est, reme- diaque eos evitandi generaliora apposuimus.

EX METAPHYSICA.

Ontologia. Generaliores rerum notiones, atque ex his deducta principia scientia hæc contempla- tur. Notionum harum vero alterum absolutarum, alterum relativarum genus est. Ad primum exi- stentiaz, possibilis & impossibilis, essentiaz, attributi & modi, necessarii & contingentis, mutabilis & immutabilis, realitatis & negationis, substantiaz & accidentis notiones pertinent; ad alterum vero genus Identitatis & diversitatis, ordinis,



perfectionis, spatii, temporis, causæ & effe-
ctus, quæque inde deducuntur consequaria,
referuntur.

Monadologia. Hæc de simplicibus cor-
porum elementis differit. Ex elementis hu-
jusmodi metaphysice simplicibus omnia cor-
pora oriri, plures evincunt rationes. Ex na-
tura horum elementorum facile intelligitur,
ortum eorum esse creationem, interitum ve-
ra, si in ea cadat, annihilationem. Differen-
tia si inter ea datur, à viribus eorum repe-
tenda est. Ea quoque viribus hisce in se mu-
tuuo agere posse, confitendum est.

Somatologia in corporum proprietates in-
quirit. Primitivæ corporum affectiones nos
latent. Omnis eorum mutatio motu efficitur.
Vis inertiae & vis motrix omni materiae in-
funt.

Pneumatologia de substantiis sensu at-
que cogitatione præditis, quæ *spirituum* no-
mine veniunt, disquirit. Cogitatio spiritibus
propria substantiæ materiali non competit. Spi-
ritus *felicitatis* proprie capaces sunt, atque
in iis solum *fines* rerum concipi possunt. Plura
spirituum genera, quam cognita nobis sunt,
existere, eaque multis rationibus inter se dif-

ferre queunt. An spiritui omni finito corpus sit necessarium, in medio relinquimus. Animam nostram ortum ex nihilo habere, facile patet. Neque adeo ex aliis tanquam parentibus emanare aut produci, neque avulsæ à divina Substantia particulæ esse poterunt. Qualis autem sit status animarum post corporis interitum futurus, ratio non facile determinare potest. Brutis quoque vere inesse animas, easque simplices, diffiteri non possumus; eas autem ratione uti non perspicimus. Neque eorum adhæremus sententiae, qui omnem differentiam inter bruta & homines à solo corpore repetunt. Omniem animam & spiritum finitum quam longissime superat spiritus infinitus & perfectissimus, cui summa inest intelligentia, qua distinctissime uno actu & intuitu novit omnia possibilia, adeoque & futura contingentia. Ei quoque inest vis creatrix atque omnipotentia, perfectissima voluntas, sapientia, beatitudo ac libertas, summa denique benevolentia, justitia sanctitas, atque omnipræsentia. Nullum quoque hic spiritus agnoscit sibi parem aut similem.


Cosmologia de hoc universo, ejusque rationibus tractat. Ac primum quidem haud satie admirari valemus intimum, qui inter



omnes hujus universi partes intercedit, *nexus* *cosmicum*. Hic tamen tantus non est, ut omnes mundi eventus ineluctabili *fato* subjiciat; neque ex adverso, *fato* sublato, *casui* puro in mundo locus est. Ex considerata mundi *natura* haud difficulter intelligitur, eventus supernaturales atque miracula in mundo fore possibilia. Quædam quoque leges mundi generalissimæ facile redduntur perispicuae, è quibus lex *continuitatis*, *parsimoniæ*, atque *conservationis* sunt celeberrimæ. Neque quidpiam obstat, quo minus mundus hic dici possit perfectissimus.

Theologia naturalis. Mundi hujus existentia supremi quoque numinis existentis, præter alia, palmare argumentum est. Hujus summam esse potentiam, sapientiam atque intelligentiam, mundus satis demonstrat. Mundus hic quoque in existendo & conservando à Deo dependet, regitur ac provide gubernatur. Neque difficile est, ex hisce Dei attributis, accendentibus quoque aliis argumentis, animi humani perpetuam durationem intelligere.

O. A. M. D. G.



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

